Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.

Wien, 1794 Seite 2935

Quelle:
Copyright:

in edit. *Opp. Joh. Gersonii*, qui inter Delegatos fuit, reperio, ut adeo et inedita esse conjiciam, et fine caruisse, cum Reformatores a Concilio nominatos non usque ad res *Ordinum mendicantium* progressos fuisse autumem.

DCCCX.

359 Codex membraneus lat. Sec. XI. Folior. 73. f. bene scriptus, rubricisque distinctus est *Benedictionale* constans *Capitibus* XLI. quorum Tituli sequuntur: *De scrutinio. De Baptismo. De confirmatione. De bened. ignis in cena domini. De reconciliatione penitentium. De ordine in cena domini. De bened. ignis. De bened. agni in pascha. De dedicatione ecclesię. De bened. corporalis. De bened. linteaminum uasorum aliorumque instrumentorum ecclesię. De bened. uestimentorum sacerdotalium. De bened. albarum planetarum stolarum cingulorum. De bened. eucharistialis uasculi. De bened. patenę. De bened. calicis. De bened. crucis. De bened. crucis metallizatę. De bened. thuribuli. De bened. incensi et thimiamatis. De bened. capsarum. De bened. ciborii. De bened. tabulę itinerarię. De bened. baptisterii. De bened. campanę. De bened. sacrorum ordinum. De bened. sacrarum uirginum. De bened. uestimentorum earundem. De bened. sacri uelaminis. De bened. uirginum quę conuertuntur. De bened. uiduarum castitatem profitentium. De bened. uestimentorum earundem. De bened. abbatissę canonicam profitentis regulam. De bened. abbatissę monachicam regulam profit. De bened. abbatis. De bened. clerici faciendi. De bened. maiori aquę et salis. De bened. minori salis et aquę. De ordine in purificatione. De ordine palmarum. Ordo pro morientibus et mortuis.* Quibus accedit *Ordo ad ungendum Infirmum.* Rubrica C. I. sic incipit: *Sabbato Sancto Paschae ueniant ad ecclesiam qui baptizandi sunt cum patrinis et matrinis* &c. Sequitur Exorcismus: *Nec te latet satanas imminere tibi pęnas* &c. Ordinem hunc invenio e *Cod. Calensi* 800. circiter annorum editum ab *Edm. Martene* T. I. *de ant. Eccl. Ritib. Antverp.* 1736. L. I. c. 1. *col.* 190. f. Atque ita et reliqua *Cod.* nostri cum per vastum hoc opus, tum per *Liturgiam vet. Romanam* a *Muratorio*, *Gallicanam* a *Mabillonio* et *Alemannicam* a *Mart. Gerberto* editam sparsa leguntur. Ad Ecclesiam aliquam e posterioribus pertinuisse suadent nomina Sanctorum, quae *fol.* 15. p. 2. in *Litaniis* recitantur, puta: *chiliani cum sociis*, *Galli*, *Ruodperti*, *Corbiniani*, *Uualdpurgis*, *Radegundis* et *Erintrudis*, neque fortassis a vero aberit, qui *Salisburgensi* tribuet, motus hac oratione pro Defunctis, quae extat *fol.* 71. *Adiuua nos domine deus noster. beati ruodperti confessoris tui. omniumque sanctorum tuorum precibus exoratus. et animas famulorum famularumque tuarum omnium in christo. et in circuitu huius ecclesie quiescentium. in beatitudine sempiternę lucis constitue. Per* &c.

DCCCXI.